Archivio storico comunale
Gualdo Tadino

5

Archivio preunitario

Pergamene del Secolo XVI°

1/2

8

Nos Antonius de Monte Miseratione divina tituli S. Praxedis Sancte Romane ecclesie presbiter Cardinalis Papiensis Perusie Umbrieque Sedis apostolice de latere Legatus & Terre Gualdi perpetuus Gubernator. Ad conservandam pacem & quietem inter homines Gualdenses & ad parcendum expensis, ac etiam ad ponendum finem, & terminum litibus vertentibus et que verti possent inter predictos vigore presentis nostri decreti perpetuo valituri, Statuimus, decernimus, ordinamus, & Mandamus, quod omnes lites, questiones & cause ascendentes ultra vigintiquinque libras denariorum, coram officialibus terre Gualdi veniant compromittende & compromitti debeant inter partes sub pena decem florenorum, Nisi sint cause graves & in puncto iuris pendeat que deberent mitti ad consilium Sapientis, de quibus stetur arbitrio locumtenentis, Et quod ordinarij, & officiales dicte terre a die incepte litis, & a prima citatione teneantur & obligati sint infra quinque dies currentes pronuntiare causas predictas compromittendas esse inter dictas partes sub eadem pena applicandam Camere Apostolice. Et quod infra alios quinque dies currentes dicti officiales teneantur & obligati sint cogere dictas partes ad faciendum compromissum in duos homines affines vel consanguineos, & amicabiles personas sub eadem pena applicandam fabrice arcis & palatij pro medietate,

Item quod non possint opponi nisi exceptiones impedientes litis ingressum & similes :~

Item quod nemo habens aliquam rem stabilem communem & contiguam cum vicinis possit ipsam vendere, & alienare sine expressa scientia habentis partem in ea, & vicinorum, coram egregijs personis vel Iudice, Et quod si venderetur sine scientia predicta ipsa venditio sit nulla. Et nihilominus incidant in eamdem penam decem florenorum applicandorum ut supra, Et quatenus vicini velint emere, vel consortes pro pari pretio alijs omnibus preferantur, ipsis vero recusantibus de licentia Gubernatoris vel Superioris Iudicis possint alijs vendere impune, & teneat venditio,

[illegible]

1v

Item quod nulla persona Gualden. possit vendere bona sita in territorio Gualdi forensibus sine licentia Guberis. vel nostra sub pena quinquaginta ducatorum & venditio nihilominus sit nulla,

Item quod nullus tam ecclesiasticus, quam secularis possit, aut valeat dare terras ad laborandum sitas in territorio Gualdi alijs forensibus nisi prius in curia nostra prestiterint cautiones idoneas de reportando fructus recollectos in dicta terra, & ibidem reponendo ad usum terre pro iusto pretio, vel in usum proprium illorum qui illos recolligerent & alias locarent et incidant in penam quindecim ducatorum applican. cim. aplice.

Item quod nullus Civis Gualden. sit contrarius Communitati & rebus respicientibus utilitatem dicti Communis vel Cam. ap. pro aliquibus forensibus, vel revelet ea, que dicerentur, & fierent in consilio eorum sub pena excommunicationis, & quod sint privati omni officio dicte terre per decem annos, & incidant in penam vigintiquinque florenorum applicandorum Cam. aplice, Si fuerint et Gratis Bonio gravi

Item voluit & decrevit dictus Rx.mus D. Gubernator & Legatus, ut omnino hinc in futurum ad eius beneplacitum, quo fit mercatum in dicta terra & per octo dies nundinarum de Mense Maij nil exigatur, & solui debeat pro mercibus, & rebus portatis ad mercatum vel nundinas pro dicto tempore sed sint liberi portantes ab omni exactione & solutione gabellarum ad beneplacitum suum et ita mandat notificari cum hoc fieri posse dicatur sine damno Camere, vel suo notabili —

Datum Fulginei die v. martij 1516

A. Car. S. Prax. Legat. et Gubr. manu ppria

Datum Fulginei die v. Martij M. D. XVI :—

Gentiles de Mote